



## **Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia**

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis  
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium  
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum  
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed  
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

**Drexel, Jeremias**

**Antverpiæ, 1643**

Sect. V. Quod sicut Reges olim, & Imperatores ignis, ita stella hæc Orientis  
Satrapas præcesserit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)



an comitatum regium tam obedienter sequentem? Miramur à parvo pisciculo ingentem duci cetum, à nigro pumilione maximum terræ pondus gubernari elephantum, funiculo regi camelam, succino trahi aceres, Cæciâ nubes, adamantem ferrum. Hæc natura miracula sunt. Quæ autem in hoc astro admiranda, supra naturam sunt; quippe naturæ conditor, dum adhuc abscondebatur in stabulo, agnoscebatur in celo; dum adhuc exiguo detinebatur oppidulo, universo mundo declarabatur; adhuc Matris lambebat ubera, & ab Oriente trahebat Reges per novum hoc sidus omni Dionæo astro fulgentius. En hic ille magnus, hic ille adamas, qui ab ipsis usque surgentis solis quasi cubilibus, ad antrum suum, in quo delitescibat, pertrahebat Arabicum exercitum. Hic ille Puffio, qui camelos & dromedarios regebat per novam illam, quam in aëre suspendebat lampadem.

§. IV. A stella & Magis Hebræam persidiam esse convictam.

Quid agitis impii Hebræi? apud vos Christus jam vaticinans loquitur, nec auditur; apud idololatrias confuscans stella tacet, & persuadet. Indignum facinus! in his ipsis terris hi peregrini Infantem nondum loquentem adoraverunt, in quibus civēs & inquilini jam virum miracula edentem fixerunt cruci: illi Deum membris humanis tectum coluerunt, quem illi miraculis clarum interfecerunt: quasi verò plus fuerit nascente illo videre orientem stellam, quam moriente occidentem & lugentem solem. Quid respondetis paricidæ Hebræi, quos nec submissilium volucrum epulantes pluvie, nec cadentis illius Ambrosiæ quotidiani nimbi, nec aridæ rupis limpidi fonticuli, nec divisum scipione pelagus, nec gemini illi viæ duces columna & nubes, nec ipsius veri Messias divina facundia potuit flectere; en, idololatrias unica hæc stella Nascentis Domini famula, ad adorandum, quem nuntiabat, natum Dominum permovet. Non miror Sabæam illam Imperatricem ad audiendum Salomonem vestrum venisse; Reges hos ad colendum Infantulū tantum viæ fecisse miror, sed nec miror amplius, cum igneam illam viam ductorem tam admirandum contemplor. Hic ego Epiphanium non audio, qui nuntiavit hanc stellam biennio antè fulsisse afferit, quàm stellam Dominus stabulum illud immigravit; cum iter illud, illis præsertim jumentorum adjumentis, intra tredecim dies confici omnino potuerit. Adde, moram omnem longam nimis videri festinantibus, quales hos tres Divos fuisse, pæne certum judico. Ergo non prius stella illa in aëre est orta, quàm in antro Christus Sol nosfer; ita ut Servatorem natum proderet ortus fideris, quod quidem in aëre radiabat, sed & radios suos in ipsa regum peçtora insinuabat. Et auis dicere: Largiorem splendorem diffundebat per regum animos, quos collustrabat, quàm per illos aëris campos, quos pererrabat. Occulta vis fuit indubiè, quæ suis sedibus tantos Dynastas excire, per institutum iter regere, ad vilissimum tuguriolum perducere potuit. Perducere tantum? permovere etiam ut ingrederentur, proemberent, adorarent. Cum enim aurato symmate prævolans fax illa casæ culmen intexisset, non potuit illas purpuras summæ paupertatis horror ingresu abarcere, stabat stella, & multa quasi voce inclamabat: En, hæc est, ô Viri, quem per ardua viarum quæritis; hic meus Creator habitat. His tenebris abditur, qui mihi meam lucem concessit: hæc humanâ formâ tectus latitat, qui cælum fabricavit, qui creavit omnia; ingredimini, salutate, veneramini, adorate. Disertum te oratorem, dux illustrissime, qui ligatum fascioliis puellum ostendebas, & persuade-

bas esse Deum; beatos vos ternos principes, qui ad supremi Regis domicilium, non quidem præeuntes vicenos quaternos cum fascibus lictores habuistis, sed ignem istum dignitatis, vestra convenientissimum insigne.

§. V. Quod sicut Reges olim & Imperatores ignis, ita stella hæc Orientis Satrapas præcesserit.

Principum olim & Imperatorum Romanorum insignia, lictores, fasces laureati, & si quid præterea tunc receptum distinguendo Principi. Accesserunt sequenti ævo purpura, diadema, ignis, & hic quidem planè ad exemplum regum. Apud Tranquillum Cæsar Capitolium ascendit ad lumina, quadraginta elephantis dextrâ atque sinistra lychnichos gestantibus. Apud Herodianum etiam Commodus Martiæ suæ velut Augusta, omnes honores, præter ignem tribuit. Apud eundem Enogabalo & Gordiano ignis de more præfertur; neque tamen hic ignis è carbonibus aut ligno, nec qualis ille apud Horatium prima bathillus, sed lampas fuit; & videtur hic mos à Persis traductus, quorum Reges prælati sunt ignis. Quàm igitur hic convenienter omnia. Reges (tales eos fuisse consignatis mox dicam) Reges, inquam, ad cunas suas evocavit Rex regum, quippe ni evocationi tam admirandæ insigne quoque regum addiderit? ignem ergo & decoram lampadem his regibus præferri jussit, non à servo aliquo aut mancipio, sed (ut quorundam Theologorum opinio est) à motore Angelo. O Regum pulcherrime Lucifer, stella natalitia! O fax lucidissima, quæ vel ipsum solem tuo splendore potuisti (si Chrysofomo & Damasceno credimus) etiam superare. Omnium enim astrorum jubar sol suis radiis retundit, tuum unius non potuit: tu unica illa es, quæ extra aliarum legem, mero meridie divisum quasi imperium cum mundi oculo habebas, & fulgebas unâ cum sole, imò ad solem ducebas, imò solem ostendebas; sed non illum qui in celo lucebat, sed regum qui latebat in stabulo, quem Ioannes Aquila illa pæne sola irretortis oculis potuit intueri. Tu illud, ô jubar cæleste, orbis lumen, quod veterem mundo caliginem deteristi: ab Oriente ad Orientem Magos duxisti, & auctorem lucis in tenebris jacentem ostendisti. Quoties ad id usque ævi, malorum infelix augurium Cometes, vel urbium everfiones, vel regnorum interitus, vel diram famem, sævâque pestem, vel cruenta bella, vel Principum virorum funera portendebat. Tandem astrum illud felicissimum affulsit, quod supremi Monarchæ & Dictatoris, non fatalem, sed natalem diem vel in ultimo Oriente proclamavit. Proni in terram mortales, quid depressos vultus humi regitis? erectos ad sidera tollite, quid umbras sectantini & somnia? quid ævo tam brevi luctamini tam multa? attollite mentem humo, & alta suspicite. Novus per auras ignis scintillat, & Regum anteaambulò incedit, ad regia incunabula ducturus. Quid vetat sequi, rerumque Dominum in infantia sua salutare, quæ nostræ istæ in luxu tam turpi moræ sunt? modum tandem ponite cupidinibus, & originem vestram cogitate, in terrâ frustra quæritis, quod non prius in celo invenitis. Eja tandem placeat, bellis fieri dissimiles, & mentem fordidissimis curis depressam, cum libertate erigere ad novam hanc flammam quæ ducit ad Deum.

Hæc stella adorandum natum Dominum idololatrias permovet.

Non prius orta in aëre, quam in antro Christus.

Occulta vis ei fuit.

Suo splendore solem superavit.

Supremi Monarchæ natalem diem proclamavit.

Handwritten notes on the right margin, including 'LICTORES' and other illegible text.

